



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris
Theologi Architectura Christiana**

Sandaeus, Maximilianus

Coloniæ Agrippinæ, 1653

5. Anacephalæosis Architecturam Parietis-Spei ob oculos ponens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

includerent, & detinerent hortabatur. Similiter S. Gregorius, cujus est ista præclara sententia hom. xvii. in Ezechielem: *Spes cœlestium mentem solidat, ne concutatur fluctibus tumultuum terrenorum.* De qua & per Paulum dicitur ad Hebr. vi. *Quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam* Alibi idem Magnus Papa: *Spes in aternitatem ænimum erigit, & idcirco nulla mala exterius qua tolerat, sentit.*

Hoc cincti Muro intrepidè hostes suos proritabant fortissimi Christi pugiles, neque Martyres solùm, sed illi quoque, qui super misericordiæ divinæ fulcimentum, operum bonorum molem, in eremo, & monasteriorum claustris crexerant. Ex iis Paulus Eremitarum primus morti propinquus dicebat, Hieronymo teste, *Peracti cursu superest mihi Corona justitiæ.* Et Hilariion sylvicula, ita semet animabat: *Egredere anima mea, egredere, quid times? Septuaginta propè annis servisti Christo, & mortem times? Magis animosè Martinus, qui jam jam migraturus magna fiducia dicebat astanti Diabolo. Quid hic adstas cruenta bestia nihil in me funesti reperies: Abrahæ me sinus excipiet.* Et pauca confidentia vir Seraphicus Franciscus, cujus extrema verba fuisse refert S. Bonaventura: *Educ de custodia animam meam ad consistendum navini tuo. Me expectant justii, domine, nec retribuas mihi.*

ARTICVLVS V.

ANACEPHALÆOSIS

Architecturam Parietis- Spei ob oculos ponens.

AVDISTIS ad Spei-Parietem construendum conuenire DEUM, ut Principem Architectum, homines

ut secundarias operas; *Fidem*, ut fundamentum; *Pactum*,
Iuramentum, & *Misericordiam*, Divinam, ut *Coronidem* fun-
 damento impositam & cingentem: Christi Merita, ut
Lapides; Bona fidelium Opera, tum *Patientiam*, *Miseri-*
cordiam, *Conscientiam*, ut *Lateres*: Divinam *Gratiam*,
 ut *Calcem*, & *Nexum aureum*: *Timorem*, *Humilitatem*,
Longanimitatem, ut *Incrustationes*. Quibus ita fiden-
 dum, ut præcipuè tamen in DEUM, Christi que Servato-
 ris Merita mens figatur, placeatque illud Bernardi epi-
 phonema: *Prætendat alter meritum, sustinere se jactet pondus*
diei & astus: Mihi adhaerere DEO bonum est: Ponere in Domino
 DEC SPEM meam.

SERMO V.

TECTVM

DOMVS SAPIENTIAE.

PARIETIBVS ad normam erectis, firmatisq; imponitur
 summa pars Domus, qua cetera teguntur, ideooq; TECTVM
 dicitur. Quod quale nam sit in Domo Sapientiae sive Aedificio Spi-
 rituali, paucis expediam cum in superioribus sit expressum, & qua-
 damtenus explicatum.

ARTICVLVS I.

TECTVM

Domus Sapientiae.

CARITAS.

VT suprema Virtutum, ita partium Domus, quæ Vir-
 tutibus constat, est *Caritas*, quâ, tanquam culmine
 L1 4 impo.